

† Fr. nov. Franciscus Van Leuvenhage (1915-1936)

(Prov. S. Ludovici)



Iuvenis Americanus sanus corpore et mente, speciosus forma prae multis filiis hominum, gymnasta et athleta et natator primae classis, loquens genuinum idioma iuventutis Americanae idiotismis saturatum, haud quidem immunis a defectibus iuventutis, attamen iudicio omnium, qui eum noverant, innocens ac pius « ut Angelus », mire generosus sui que obliviosus, flagrans sincero Iesu et Mariae amore ac S. Teresiae a Iesu Infante devotissimus, post novem dierum infirmitatem mortuus morte Sanctorum — nonne is est, qui hodiernam iuventutem catholicam attrahere valeat, et praesertim iuventutem nostram, iuvenista et novitius noster? Eius vitam brevem nuper R. P. *Raymundus Miller*, Praefectus studentatus Oconomowoc, publici iuris fecit², unde in omnium nostrum aedi dificationem haec excerptimus.

Franciscus Xav. Alfonsus Van Leuvenhage (familiae nomen manifeste Flandricum seu Neerlandicum) natus est in sinu familiae valde christianae d. 3 Iun. 1915 in magna illa urbe industriali Status Michigan, cui nomen Detroit; verum infans 16 mensium cum suis in Menasha, Wisconsin, venit ibique infantiam transegit. Annis 1922-1926 cum familia Milwaukia, Wis., vixit, donec parentes Van Leuvenhage cum hoc unico filio et quatuor filiabus iterum Detroiti consederunt, et quidem e regione nostrae ecclesiae SS. Redemptoris. Mense Septembri 1929 Franciscus petivit Kirkwood, suburbium magnae urbis S. Ludovici, ubi Provinciae S. Ludovici iuvenatus

¹ Eccli. 24, 31. Ita clauditur Epistola festi B. M. V. de Perpetuo Succursu.

² R. J. MILLER, *Van: Beloved of God and Men*. Vide in Bibliographia fasciculi praecedentis.

invenitur. Ibi longum eius nomen more Americano coepit monosyllabum fieri: *Van*. Inde post sexennium se contulit in novitiatum De Soto haud multum distantem, ubi in vigilia festi S. Alfonsi a. 1935 Alfonsiana veste indutus est. Nocte diem 6 Maii 1936 subsequente iuvenis plane sanus appendicite correptus est et d. 10 Maii ad nosocomium civitatis S. Ludovici translatus. Ibi in gravi mortis periculo constitutus, iuxta canones ad vota nuncupanda admissus et vita defunctus est primis momentis sabbati, 16 Maii 1936.

His paucis verbis externum huius brevis vitae cursum texere licuit; at sermone abundantiore opus est ad virtutes huius eximii iuvenis enarrandas. Franciscus noster vocari potest « fructus Decretorum Eucharisticorum Pii PP. X », quatenus eius parentes frequenter, immo fere cotidie, ad sacram mensam accedebant et ipse iam septennis Angelorum panem recepit. Pariter est « fructus scholae paroecialis », quae Ecclesiae catholicae in Statibus Foederatis tantum vigorem dat, et cuius primi promotores fuere primi Redemptoristae ex Europa in Americam appulsi. Totam quippe suam instructionem elementarem Franciscus accepit a religiosis, velut ab Ancillis Immaculati Cordis Mariae, fundatis a. 1845 a nostro P. Ludovico Gillet (Gilet), consanguineo S. Ioannis Berchmans, qui tamen a. 1850 ad Trappistas transiit et in abbatia Sabaudiae Hautecombe 14 Nov. 1892 sancto fine quievit.

Magistri et magistrae videbant in Francisco « puerum haud ordinarium ». Ad altare serviens a populo passim « Angelus » vel « Aloisius » vocabatur. Sacerdotalis vocationis aurora mature apparuerat, et cum quondam in classe VII audisset nostrum P. Gulielmum Miller de puerorum vocatione futura disserentem, in chartula voce « *priest* » (sacerdos) suam vocationem notavit. Audierat quoque in ecclesia SS. Redemptoris occasione primae Missae appositum sermonem, qui novum ei de vocatione lumen attulit. Cum vero saepissime ibi sacerdotes Redemptoristas videret, ad sacerdotium in Congregatione nostra adspirare coepit et vere anni 1929 petivit suam ad collegium nostrum Kirkwood admissionem. Eo revera subsequente Septembri transmigravit, ut iam diximus. Ibi tamen exactis aliquot annis coepit angere magnis timoribus, ne dignitate adeo sublimi dignus non esset. Quae atra nubes certe tam cito non transisset, nisi solita sua sinceritate alicui Patri dubium manifestasset. Sodali tamen quondam confessus est: « Velim fieri aut sacerdos bonus sanctusque, aut nullus omnino ».

Redeamus ad primam iuventam. Franciscus, etiamtum in saeculo vivens, cum amico Bernardo theatrum cinematographicum quodam die cum visitasset, quanto gaudio affectus est prima fabula dramatica innocenti,

tanto horrore altera fabula indecenti, et vix sexta horae pars praeterierat, cum amico insusurravit: «Veni; exeamus hinc!» «O. K.», respondit alter, i. e. «bene», et duo parvuli praedecessores hodiernae Legionis Decentiae e theatro isto aufugerunt.

In iuvenatu puerulus «angelicus» statim in primo ludo gymnico omnium ad se attraxit admirationem animo suo forti et habilitate haud communi, mox autem vel maiorem singulari prorsus sui dominio, sive in ludendo, sive in orando, sive in manducando... Et Superiores et sodales eius non dubitant loqui de «heroica» sui dominatione.

In orando genuflexus manebat corpore erecto et immobili, oculis vel in tabernaculo aut in sacra imagine defixis. Postea novitiorum Magister R. P. Ioannes Zeller de eo dixit: «Adeo omnis motus in orando exers erat, adeo defixus in altari et nihilosecius adeo omni contentionis vestigio liber, ut concludendum sit eius orationem non fuisse plane ordinariam». Dimidiam horam liberam post coenam Franciscus in collegio Kirkwood semper in sacello transigebat, et profecturus in novitiatum amico Bernardo, insequentis classis discipulo, haec verba aurea notavit: «Melius consilium tibi dare nequeo quam hoc: Ora, ora, ora, et in orando persevera; tum proficies».

Peculiari devotione attrahebatur ad Beatissimam Virginem, iugis adiutorii Matrem et Virginem perdolentem, cuius coronam cotidie recitabat. Etiam S. Teresiae a Iesu Infante, ut iam dictum est, hic athleta eximius erat devotissimus. Eius autobiographiam ter iam in iuvenatu legit, adeo *simile simili gaudet*; et quoniam *ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. 12, 34), in conversatione dicta huius Sanctae et facta saepenumero referebat. Eximiam quoque animi maturitatem manifestat huius iuvenistae dictum: «Ad novitiatum vellem tres libros apportare: Scripturam Sacram, Imitationem Christi et autobiographiam Flosculi»¹.

In manducando sibi temperabat, quasi non sentiret famem, et cupedia domo recepta generose aliis distribuebat.

Interdum quidem contra regulam silentii deliquit, verum multoties alteri contra regulam loqui volenti subridens demonstrabat scidulam, cui verbum «*silence*» inscripserat. Quidam iunior sodalis hoc bellum de eo dedit testimonium: «Quo tempore *Capo* fuit (i. e. ultimo iuvenatus anno), alterum eius nomen erat *Disciplina*».

Absolutis sic sex collegii praeparatorii annis Superiores ipsi suum de eo iudicium ex officio ita comprehenderunt: «Van Leuvenhage Franci-

¹ S. Teresia a Iesu Infante in mundo Anglici idiomatis communiter audit *Little Flower*.

scus... bono ingenio praeditus est et iudicio admodum sano ac solido; indole est optima, docilis, oboediens, caritatis plenus, laboris et observantiae regularis orationisque amans; optimum habet spiritum religiosum » (p. 33).

In novitiatu hae virtutes, nedum decrescerent, augebantur potius, ut consentaneum est. Eius usui concessa erat machina scriptoria, qua inter alia, iuxta P. Magistri monitum, compendia haud ita breviter librorum lectorum scribebat, velut Vitae Christi auctore P. Meschler. At nunquam audiebatur vel unam litteram scribens dato campanae signo. — Novitio Americano non est facile eum, quem antea per sex annos vocarat *Bill* vel *Tom* vel *Jack*, nunc sollemniter salutare titulo *Frater* N. Nihilominus Fr. Van huic regulae semper fidelissimus erat, etiam in ludo et in familiari conversatione.

In quadam epistola suis scripsit: « Spero vos eadem pace gaudere qua ego fruor... Soli Iesu vivere et sui oblivisci, quantum fieri potest, haec est unica vera pax... Novitiatus est quidam Paradisus terrestris ». Longum excerptum operis Alfonsiani « Vera Sponsa Iesu Christi » claudit hoc simplici, at significanti suspirio: « Te amo, mi Iesu! » Ultimo vitae mense secundi sacristae officium ei obtigerat, id quod eum valde beatum reddidit, quia sic Amico cordis magis vicinus esse poterat.

Sed, ne longi simus, narremus exitum huius vitae 21 annorum; quid enim homo valeat, nunquam clarius quam in ultima infirmitate fit palam. Fr. Van d. 6 Maii 1936 suis scripsit: « Spero omnes vos optima valetudine uti, sicut impraesentiarum (Deo sint grates) egomet utor ». Eheu, quam cito res humanae mutantur! Iam subsequente nocte corripitur magnis doloribus internis; ignorans autem mali gravitatem, silet et suetum vitae cursum continuat usque ad Dominicam, 10 Maii. Hoc mane solita pietate Panem fortium recipit, ignorans profecto esse suam communionem ultimam. Postea, ut consueverat, recitat actum illum perfectae conformitatis cum voluntate divina, quam Pius PP. X pro mortis momento indulgentia plenaria ditavit.

Hoc itaque mane post Magistri conferentiam Fr. Van tandem aliquando loquitur sodali nosocomio de diris suis doloribus. Vocatur medicus, qui eum transferri iubet ad valetudinarium urbis S. Ludovici, 40 milliariis (60 km.) distantis. Priusquam aegrotus in vehiculo apposito collocatur, dicit cuidam confratri, ut alias sui obliviscens: « Potes uti mea machina scriptoria »; et interrogatus, numquid re aliqua opus haberet, responsum dat S. Ioanne Berchmans dignum: « Nulla re amplius indigeo; habeo enim meum Rosarium meumque Crucifixum! »

In nosocomio tandem vera dolorum causa invenitur: appendicitis, et statuitur facere operationem chirurgicam. A Sorore interrogatus, sitne ideo

timore affectus, respondet: « Minime, Soror; est enim voluntas Dei, et hoc sufficit ».

Operatio, proh dolor! revelavit appendicem iam ruptam et peritonitidem iam inceptam. At quanta est acquisiti habitus vis! Qui in vita etiam tempore melancholiae quasi semper habuerat os dulce subridens, sicut effigies necrologo praeposita ostendit¹, etiam e statu anaesthetico ad sui conscientiam rediit leni cum risu (*smile*). Mox a Sorore Antonia quaesivit, essetne infirmitas gravis et mortalis, sed postea nil amplius de statu morbi interrogavit.

Brevi post haec conversatio facta est: « Quota hora est? » « Hora tertia ». « Hora tertia nocturna? » « Ita quidem ». « At mei causa, Soror, non deberes vigilare! » « Officium meum est nocte vigilare ». Post aliquod silentii momentum: « Sponsonem facerem etiam P. Magistrum hac nocte in oratione pro me vigilare. Est homo sanctus! »

Brevi post quaesivit liceatne sibi sacram communionem suo tempore recipere, et audito id fieri non posse, statim acquievit. Tum petiit ut Rosarium 15 decadum circum brachium suum volveretur, sicut ipse semper noctu fecerat.

Toto tempore, quo in valetudinario vixit, patientia sua heroica et pietate angelica omnibus erat summae aedificationi; etiam e medicorum ore id audiebatur, quod perraro accidit. In tot iniectionibus et incisionibus gravissimum dolorem moventibus ne mininum quidem spasmi motum faciebat. Sorori *La Reine* miranti, cur nunquam de doloribus suis loqueretur, hoc vitae spiritualis principium allegavit, proculdubio iam diu ab ipso in praxim deductum: « Quodcumque pro Deo facimus, quam optime faciendum est; similiter nunc haec adversitas mihi quam optime toleranda ».

Feria VI, 15 Maii, brevi post meridiem communitati nostrae urbis S. Ludovici nuntiatur novitium Van Leuvenhage versari in periculo mortis. Accurrit statim cum aliis tribus Adm. R. P. Rector Gul. Reintjes, qui quondam Fratrem Van prima latinitatis elementa docuerat. Aegrotum instruit caute de condicione sua; qui statim discrimen intelligit, mortis tamen aspectu minime perterretur. Ubi vero audit se cum P. Provincialis venia iuxta canones nunc vota Redemptoristae nuncupare posse, gaudio radians exclamat: « *Oh what a break!* » Qui Americanismus rerum mutationem felicem et inexpectatam significat.

Facit igitur ultimam suam confessionem apud praesentem R. P. Iacobum Kenny, Magistri novitiorum Socium. Tum, obliviscens plane omnes

¹ Videtur esse illa photographia momentanea, quam soror Francisci ipso die vestitionis fecit.

et omnia terrestria, loquitur cum amato Domino Crucifixo, et tenero amore ductus ei dat oscula, dum oleo sancto inungitur et Apostolicam Benedictionem recipit. Viaticum propter mali naturam recipere non poterat. Tandem angelico fervore pronuntiat formulam professionis. Quo facto simplicitate sua inaffectedata ipse se beatum praedicat, hanc addens rationem: « Si nunc morior, recta via ad caelum ibo ».

Mox pacifico somno opprimitur fere per horae spatium. Interim duae Sorores ex adverso erigunt altariolum cum imagine Matris de Perpetuo Succursu, id quod hunc amantissimum Deiparae servum et filium, e somno expergefactum, incredibili laetitia afficit. Et memor professionis antea emissae exclamat: « *Hic dies est fortunatissimus dies totius meae vitae! Meae classis primus vota nuncupavi, et debui esse undecimus!* »

Cum medicus sanguinis transfusionem experiri vellet, hoc donum generose obtulit unus e Lectoribus Francisci Kirkwoodensisbus, R. P. Ioannes Coll. At frustra. Mors venit pede cito. Ultima verba, quae sui conscius Fr. Van pronuntiavit, erant iaculatoriae illae preces notissimae: « Iesu, Maria, Ioseph, vobis meum cor et animam dono... ». Paulo ante Sorori manifestaverat suam spem se die sabbati posse mori, et ita factum est. Vix hic dies Deiparae sacer inceperat, cum haec anima vere Mariana ad Paradisum evolavit. Aderant, praeter duas Sorores et duos medicos et nosocomam, etiam P. Reintjes e residentia Provincialis, P. Iacobus Kenny e domo novitiatus, et PP. Kaiser et Flanagan e domo iuvenatus.

Parentes optimi Detroito advolantes corpus exanimum reppererunt, sed solacio replebantur audientes filium unicum, quem Deo generosi donaverant, ab omnibus « sanctum » proclamari eiusque exuvias Detroitum transferendas esse. Itaque in hac urbe patria exsequiae sollemnes institutae sunt. Et cum P. Ioannes Zeller coram multitudine vastum templum opplente funebri oratione huius novitii vitam mortemque narraret, ex omnium fere adstantium oculis lacrimas elicuit.

Merito Fr. Francisco Van Leuvenhage a P. R. Miller applicantur verba illa biblica: *Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est* (Eccli. 45, 1). Iam multi eum invocant et asserunt preces suas exaudiri. Vox defuncti praedilecta erat vox « Providentia ». Exspectemus igitur, quae Providentia Divina de hoc iuvene Americano statuat.